



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XXVII. De successionibus ab intestato.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

quoque pro hac sententia. Sanch. cit. c. 11. n. 23. eo quod dicta constitutio, utpote odiosa & pœnalis, à personis in ea expressis ad aliàs non expressas non sit extendenda. ac proinde, cum loqui videatur de Religiosis claustralibus, non extendendam

ad Religiosos non claustrales, qui alicui Ecclesie seculari exemptæ præpositi executionis suæ testamentariae rationes Papæ duntaxat ejusve legato, vel alteri suo legitimo Superiori reddere tenentur.

TITULUS XXVII.

De successione ab intestato.

Quæst. 774. Quid sit successio ab intestato, à qua lege originem trahat & quotupliciter fiat.

R Esp. Ad primum: successio in bona defuncti ab intestato dicitur, quæ, deficiente successione testamentaria (qualis est, quæ sui causâ proxima factum seu dispositionem hominis, puta testatoris habet) defertur immediatè à sola lege, tanquam solis legibus debita; unde & propriè legitima & iusta dicitur, perque illud nomen sæpe in iure distinguitur à successione testamentaria; uti & ab ea, quæ conventionem hominum per pactum vel renunciationem factam de consensu illius, de cuius hæreditate agitur, acquiritur, quæ propriè testamentaria non est. Dicitur autem successio testamentaria deficere, & defunctus intestatus decedere, non tantum quando planè nullum testamentum fecit, sed etiam, licet aliquod fecerit, illud tamen nullas vires aut effectum habet. v. g. si propter voluntatis vel solennitatis essentialiter requisitæ defectum ab initio nullum fuit (quo etiam referuntur, & intestati decedere dicuntur, qui testamentum de iure facere non potuerunt. v. g. impuberes, prodigi & similes) vel validum quidem ab initio fuit, sed postea ipso iure infirmatur, rumpitur, destituitur, nullo hærede existente seu esse nolente, vel irritatur ob capitis diminutionem, quod testator sit condemnatus ad mortem; vel rescinditur officio iudicis per querelam inofficiosi; in his enim omnibus casibus successio ab intestato locum habet per *L. de hered. que ab intestato. l. 1. ff. de suis & legit. l. 6. §. 1. ff. l. 34. c. de inoff. test.* Lauterb. de success. civil. ab intest. secundum Novell. 128. §. 3. Porro huic successioni ab intestato præfertur testamentaria; cum ea in subsidium obtineat per *L. 39. §. 70. ff. de acquir. vel omitt. hered. l. 8. c. comm. de success.* Lauterb. §. 2. dum verò quis prætendit hæreditatem ab intestato, contradictor illius asserens testamentum factum esse, id probare debet; cum testamentum sit quid facti, quod in dubio non præsumitur, sed ab allegante probari debet, eoque non probato, quilibet creditur intestatus mortuus. Lauterb. l. c. citatis Bachov. ad Treutl. vol. 2. du. 16. ib. 1. lit. a. in fin. Barry. de success. l. 18. tit. fin. pr. Fachin. l. 6. contror. c. 46.

2. Resp. Ad secundum: dum dicitur hæc successio esse legis seu de lege civili, intelligendum id est, quòd quò ad modum, determinationem & ordinem, quo defertur hæreditas defuncti intestati sit juris civilis, ut Wiestn. h. t. n. 1. quod ipsum tamen quò ad ordinem non ubique idem est, dum apud Romanos diverso tempore de hoc successione ordine diversa erant iura, uti & modò in Imperio, in diversis Provinciis. Unde dum quaritur, cui ab intestato delata hæreditas, non statim ad jus commune, sed iura locorum, etiam statutaria, respiciendum

R. P. Lehr. Jur. Can. Lib. III.

Lauterb. l. c. §. 4. Quod tamen jus civile, quia etiam quò ad hæc fundatur in præsumpta maiore dilectione propinquorum præ extraneis magisque conjunctorum sanguine præminis conjunctis, indeque nata affectio certos gradus habet, certo ordine hæc cognatos vocat. unde & altiorem sui originem hoc jus civile positivum respicit; dum nimirum ante omnem juris hujus dispositionem ab omnibus populis defunctorum bona ad liberos & propinquos ex communi affectu semper devolvebantur. quin & lege divina, ut constat ex *Levit. 2. v. 42. Num. 27. v. 6. Deuter. 4. v. 4.* præcipiente, bona transmitti in ejusdem generis posteros seu descendentes ad familiarum conservationem, imò iure & distamine naturali, ut colligitur ex *can. jus naturale. 7. dist. 1. L. scimus. §. 2. c. de inoff. testam.* cum amor propensior in liberos & propinquos, iisque præ extraneis consulendi studium mortalibus à natura insitum sit. *L. 8. §. 1. ff. de jur. codicill.*

3. Resp. Ad tertium: fit hæc successio dupliciter, nimirum vel in capita, vel in stirpes. in capita, dum proprio iure acquiritur hæreditas, eaque in portiones viriles seu in tot partes, quot sunt personæ & capita, æqualiter dividitur. In stirpes, dum unus vel plures, nulla habita ratione multitudinis vel paucitatis personarum, loco & ex iure alterius, quem representant, v. g. liberi parentem, succedunt; ita ut, si sint multi, sive pauci, omnes simul tantam ex hæreditate portionem accipiant, quantam accepturus fuisset ille, cujus loco succedunt, quamvis eam dein portionem inter se æqualiter seu in capita dividant. v. g. pater intestatus moriens relinquit duos filios, & ex uno horum præmortuo sex nepotes, hi sex succedunt in stirpem, id est in locum sui patris, à quo tanquam communi stirpe proveniunt, omnesque simul plus non accipiunt ex hæreditate avi, quam quantum eorum pater, si vixisset, fuisset accepturus, nimirum quantum quivis duorum fratrum illorum, nempe pater & patruus viventes accepissent. Eandemque portionem acciperent, sive nepotes essent 12, sive unus vel duo. ita ferè Barry. de success. l. 18. tit. 1. num. 2. Gomef. Tom. 1. var. cap. 1. num. 2. & 12. Molin. Tom. 2. de j. & j. d. 162. num. 3. Haunold. Tom. 1. de j. & j. tract. 5. à num. 401. quos citat Wiestn. h. t. num. 4. & sumitur ex §. 6. & §. fin. Inst. de hered. que ab intest. & Auth. in successione. c. de suis & legit. Neque ad hanc successione in stirpes facit, quòd filius, cui succedunt, defunctus fuerit emancipatus, sive adhuc sub patria potestate; aut etiam, quòd ex patre eorum præcesserit ingratitudinis causa sufficiens ad exhæredationem; cum eà usus non sit eorum avus. de Lugo. Tom. 2. de j. & j. d. 24. n. 176.

Aaaa

Quæst.

Quaest. 775. Inter quos detur hæc successio legitima.

REsp. Ii sunt in duplici classe, pro ut ex duplici causa successio hæc defertur; nimirum vel jure sanguinis seu cognationis, nomine hoc hic latius accepto pro vinculo personarum à communi stipite descendantium carnali propagatione contracto; quod sic acceptum complectitur lineam rectam & transversam; unde tres sunt ordines cognatorum, nimirum ascendentium, descendantium, collateralium, prout habetur. *Novell. 18. c. 1.* Vel ex civili aliqua ratione defertur conjugibus, marito vel uxori superstitionis jure prætorio; cum sint divini & humani juris loci. ut dicitur *L. 4. c. de crim. exp. her.* & utriusque fortunæ casuum participes, ut *L. 22. §. 7. ff. solut. matrim.* Restrigitur hæc successio ad solos conjuges cum exclusione qualiumcunque affinium; cum affinitatis jure nulla permittatur successio. *L. 7. c. comm. de success.* Lauterb. *l. c. §. 42.* Ad hanc successionem requiritur primò, ut nulli restent cognati defuncti conjugis, dein, ut iustum sit matrimonium, illudque duret mortis tempore. plura in specie de hac successione infra.

Quaest. 776. Generalis, quo ordine fiat hæc successio.

REsp. Primus ordo successionis legitimæ est in linea descendantium defuncti, qui reliquis omnibus cognatis ejusdem, tam ascendentibus quam collateralibus præferuntur, de Lugo. *l. c.* Lauterb. *l. c. §. 7.* Carpz. *7. F. p. 3. c. 17. d. 3. n. 1.* cum communi juxta *L. 15. ff. de inoff. test. l. 7. ff. unde liberi. & Novell. 118. c. 1.* idque ex communi naturæ & parentum voto, nimirum propter summum amorem & arctissimum vinculum inter parentes & liberos, ut Aristotel. *L. 4. politic. c. 19.* Secundus ordo in eadem linea recta est ascendentium, qui succedunt deficientibus omnibus descendantibus, & præcedunt omnibus collateralibus. Tertius collateralium consanguineorum. v. g. fratrum; servato tamen tam inter descendentes, quam ascendentes & collaterales ordine graduum, ita ut filius & filia excludant nepotes, pater & mater avum & proavos. Quartus conjugum, ac denique his omnibus succedit Fiscus, uti hæc omnia antiquato jure antiquo disponuntur in *cit. Novel. 118. c. 1. 2. 3. juncto voto cit. ff. & c. unde vir. & uxor. & c. de bonis. vacant.*

Quaest. 777. Qualiter computentur gradus consanguinitatis ad dignoscendum, quis defuncto proximior.

REsp. Primò in genere: aliter computantur hi gradus in Jure civili in ordine ad successiones hereditarias, aliter in Jure canonico in ordine ad contrahendum matrimonium, ut constat ex *c. ad sedem. 2. caus. 35. q. 5.* computantur autem hi gradus in ordine ad hereditates in linea recta tam ascendentium quam descendantium pari ratione tam secundum Jus Canonicum quam Civile; dum in utroque recepta est hæc regula: tot sunt gradus, quot sunt generationes seu personæ generatæ, nempe communi stipite, à quo prima origo consanguinitatis ducitur, sic pater & filius in primo gradu juncti sunt, avus & nepos in secundo, proavus & pronepos in tertio, & sic deinceps juxta *cit. c. ad sedem. & §. primo gradu. Inst. de gradib. cognat.* In linea vero collateralis seu transversa, tam æquali, quam inæ-

quali alia ratione computantur hi gradus in ordine ad hereditates à Jure civili, quam à Jure canonico in ordine ad matrimonium, quamvis computatio illa Juris civilis in ordine ad hereditates servanda sit tam in foro Ecclesiastico quam seculari, quippe à SS. Canonibus recepta & canonizata. Arg. *cit. c. 2. caus. 35. q. 5.* uti & è contra computatio Juris canonici in ordine ad matrimonium servanda, tam in foro civili quam Ecclesiastico; idque tam in terris Imperii, quam Ecclesiæ, ut fatentur Civilistæ. Pirh. *b. 1. n. 3. in fine.* Reiffenst. *n. 3.* ita ut computatio graduum quò ad successionem hereditariam fiat à Jure canonico eodem modo, quò à Jure civili; similiter computatio quò ad matrimonium pari modo fiat à Jure Civili & Canonico, totaque diversitas sit penes objecta, ut bene Reiffenst. *n. 8.* Fit autem in ordine ad successionem hereditariam hæc ratio, ut tot censeantur gradus, quot sunt personæ collaterales ex utraque parte vel linea transversa, unà demptâ, communi nimirum stipite; adæque tot gradibus duæ personæ in linea hæc distant inter se, quot ex utraque parte numerantur personæ usque ad communem stipitem, in quo conveniunt. Sic v. g. duo fratres sunt in secundo gradu, seu distant duobus gradibus inter se; quia sunt duæ personæ, & pater eorum, qui est in linea recta, in quo conveniunt, non computatur: Unde & in hac linea non datur primus gradus; cum frater fratri non per se sed per patrem vel matrem, qui non computantur, jungantur. similiter duo patruels seu duorum fratrum filii sunt seu distant inter se in quarto gradu; quia in utraque linea, dempto stipite, sunt quatuor personæ, nempe duo patres & duo eorum filii seu patruels, dempto eorum avo. Item nepos & patruus seu frater patris distant in tertio gradu; quia in utraque linea transversali usque ad communem stipitem numerantur tres personæ, nempe pater ejusque frater & nepos. ita Arg. *tot. cit. Inst. de grad. cognat. & cit. can. 2.* Pirh. & Reiffenst. *ll. cit.* In ordine verò ad contrahendum matrimonium, secundum hanc regulam pro linea collateralis æquali sic fit computatio; ut quot gradibus singulæ personæ, de quibus queritur, distant à communi stipite, tot quoque gradibus inter se distare censeantur. pro linea verò collateralis inæquali tot gradibus personæ distant inter se, quot gradibus remotior distat à communi stipite.

Quaest. 778. Qui & quo ordine succedant descendentes seu liberi suis parentibus, vel à successione excludantur.

1. REsp. Primò: succedunt liberi primi gradus, hoc est distincti à nepotibus, qui sunt liberi secundi gradus, naturales & legitimi simul (quales sunt & dicuntur, qui ex justis nuptiis seu legitimo matrimonio procreati, etsi statim primo post nuptias mense nati (ut enim quis legitimus dicatur, non tempus conceptionis, sed nativitas inspicitur. *L. 11. c. de nativ. liber. quod secus erat jure ff. L. 11. ff. de stat. hom.)* sine differentia sexus, seu sive sint mares, sive fœminæ (nisi statutis aliter introductum, uti olim apud Israëlitas. *Num. c. 27. v. 8.* & hodie jure feudali fœminæ regulariter perpetuo excluduntur, nisi feudum sit fœmineum, vel ex pacto ad fœminas transitorium. Lauterb. *in ff. de success. civil. intest. §. 11.*) vel etiam statutus, seu sive laici & sæculares, sive Clerici, etiam Religiosi. *L. 56. §. 2. c. de Episc. & Cler.* nisi ex regula vel facta professione sint incapaces bonorum possidendorum. Lauterb. *§. 14.* Item sive constituti tempore mortis patris sub patria potestate, sive jam emancipati, quòd tamen restringendum ad jus succedendi,

cedendi, quo æqualiter, & non quò ad modum; cum sui seu sub patria potestate constituti ipso jure acquirant hereditatem, eamque tanquam quæsitam transmittant ad omnes suos heredes; emancipati autem succedunt quidem cum suis, at non ipso jure acquirunt hereditatem, sed prius voluntatem adeundo, aut bonorum possessionem agnoscendo declarant. §. 3. *Inst. de hered. qual. & diff. l. 14. ff. de suis & legit.* Lauterb. l. c. §. 13. Item sine differentia natiuitatis, seu siue sint jam nati, siue ex eodem matrimonio post mortem patris nascuntur. §. 2. & 8. *Inst. de hered. que ab intest.* modò talis posthumus ante patris mortem conceptus, vivus in lucem editus debito tempore, etsi statim mortuus. Lauterb. l. c. §. 11. Hi inquam liberi omnes in capita, siue æqualibus portionibus ab intestato succedunt patri & matri; etsi ex diversis matrimoniis nati, separatim ac distinctè suo singuli parenti. L. 3. & seq. c. de secund. nupt. ita ut excludant, non tantum collaterales cognatos. v. g. patruos & avunculos, sed & ascendentes, nempe avos & proavos; uti & descendentes nepotes, casu quo horum patres adhuc vivunt. ita habet communis juxta *Auth. in succes. c. de suis & legit. Auth. de hered. ab intest. venientib. §. 1. coll. 9. Novel. 118. c. 1.* Idem dicendum de liberis ex putativa uxore, dum nimirum matrimonium ex unius vel utriusque contrahentium erronea opinione justum bona fide contractum, natis; cum & hi juris fictione habeantur pro legitimè natis. c. 2. & 14. *qui fil. sint legit.* Palæot. c. 6. n. 10. Sanch. de matrim. l. 8. d. 34. n. 46. Gail. L. 1. obs. 112. n. 12. Richter. de success. ab intest. S. 1. memb. 1. num. 4. Lauterb. l. c. §. 9.

2. De cætero extenditur responsio primò ad liberos naturales non legitimè natos, sed legitimatos. & primò quidem ad legitimatos per subsequens matrimonium (intellige contractum, siue ante, siue post natiuitatem prolis, etiam in articulo mortis; imò etsi interea aliam duxisset, modò tempore conceptionis pater & mater habiles erant ad contrahendum. Arg. c. e. anta. qui fil. sint legit. & ibi. Barbof. & AA. communiter) hi enim, siue soli sint, siue cum aliis legitimè natis, quibus in omnibus æquiparantur, succedunt æqualiter. L. 10. c. de nativ. liber. Novel. 12. c. 4. §. 2. *Inst. de hered. que ab intest. cit. c. tanta. & ibi. Gl. v. legitimi.* & Barbof. n. 14. Gail. L. 2. obs. 141. n. 1. Pirh. h. t. n. 6. Lauterb. l. c. §. 15. qui etiam ait ex communi DD. & in praxi recepta sententia eos quoque admitti, saltem de consuetudine, in successione feudali, citatis pro hoc pluribus.

3. Secundò ad legitimatos per oblationem Curia. de quo modo legitimandi ejusque effectu in *Novell. 89. c. 2. & seq.* quem tamen hodie in desuetudinem abiisse, ait Lauterb. cit. §. 15.

4. Tertiò ad legitimatos per rescriptum Principis vel Comitum Palatini. ut tamen talis legitimatio effectum suum habeat quò ad successionem, requirunt tria, de quibus in *Novel. 74. c. 1. & Novel. 89. cap. 9.* nimirum primò, ut peracta generatione, pater matrem ex justa causa ducere, & sic prolem per subsequens matrimonium legitimare non potuerit. Secundò, ut nulli existent legitimè nati ante hanc legitimacionem, utpote quæ regulariter fieri nequit existentibus liberis legitimis. Lauterb. §. 16. citans *Novell. 89.* nisi fortè, ut Idem cum Gail. L. 2. obs. 142. n. 5. & 8. dicente communem, Princeps supremus, uti potest ex plenitudine potestatis, specialiter in ipsa legitimacione jus cum existentibus legitimis ab intestato succedendi concesserit, inserta diplomati hac vel simili clausula: non obstantè, quòd existant legi-

timi. ex e ratione, quòd sicut talis Princeps potest leges novas condere, etiam antiquas abrogare, aut in iis dispensare possit. Arg. L. 5. c. de divers. rescript. quòd, quia non competit Comiti Palatino, non poterit is à se legitimatis id concedere, nisi ex speciali privilegio id ei concessum. Non tamen legitimacionem à tali Principe factam, etiam absque tali expressa clausula & usu plenitudinis potestatis suæ, in ordine ad succedendum non carere suo effectu in casu natorum post eam factam legitimè liberorum, habet comunior, quam contra plures apud Tiraq. in L. si unquam. 275. c. de revocat. donat. Arg. L. existimo. ff. de V. O. sectantur Lauterb. §. 16. & ex antiquis Bart. in L. ex facto. ff. de vulg. & pupill. n. 3. Bald. ibid. n. 1. Jafon. n. 15. Gail. cit. obs. 142. n. 5. citari à Reiffenst. h. t. n. 14. iis consentiente, & omnino probabilem dicente, ex e ratione & regula. L. 85. §. 1. de reg. juris. quòd semel perfecta & consummata non irritentur, etsi ad eum casum deveniant, à quo non potuissent incipere. Tertiò requiritur, ut proles in eam legitimacionem consenserit juxta *citatas Novell.*

5. Quartò: Extenditur responsio ad legitimos tantum, id est, quos non natura procreavit, sed lex tantum approbavit. quales sunt adoptivi; hi enim (siue sint arrogati, siue in specie adoptati; siue ab ascendente, siue ab extraneo) æque ac naturales legitimi succedunt adoptanti vel arroganti. L. 5. c. de legit. hered. §. 2. *Inst. l. 10. c. de adopt.* modò tamen ante mortem adoptantis non dissolvatur adoptio per emancipationem Reiff. h. t. n. 12. citans L. 10. §. 2. Non tamen ad successionem agnatorum & cognatorum adoptantis admittuntur, ut Idem cit. ead. l. §. 1. Neque etiam succedunt in feudis, nisi dominus & agnati in adoptionem consentiant, 2. feud. 26. §. adoptivi. §. l. 23. ff. de adopt. Lauterb. l. c. §. 17.

6. Quintò extenditur ad liberos pariatos per unionem prolium; hi enim æqualiter cum aliis ab intestato succedunt parentibus unionem facientibus. Lauterb. l. c. citatis. Herold. de jure prof. c. 5. concl. 16. n. 4. Bardil. de union. prol. th. 33.

7. Resp. Secundò: à successione ab intestato præter liberos affines & prævignos (de quibus certum est per L. 3. & 7. c. communia. de successione, quòd non succedant vitrico aut noverca) excluduntur liberi naturales legitimi, si juramento renunciarunt successioni parentum. licet enim Jure civili nemo renunciare possit successioni futuræ, ut Lauterb. §. 21. Jure tamen Canonico, quo omne juramentum non vergens in contumeliam Dei, animæ propriæ aut tertii detrimentum, servandum est, id permittitur. Sic etiam non succedunt liberi, qui certa portione à parente. v. g. ad secunda vota transeunte, ex prædefuncti conjugis bonis assignata contenti. Lauterb. §. 13. Item ab hereditate omnium ascendentium excluduntur liberi parentum reorù perduellionis. L. 5. c. ad leg. Jul. majest. quamvis tamen filia quòd ad legitimam in bonis maternis admittantur juxta eand. l. 5. Item propter delictum ab Imperatore vel Camera Imperiali proscripti aut banniti. Arg. l. 1. c. de hered. inst. Item liberi hæretici parentibus orthodoxis ab intestato non succedunt. l. 4. §. 2. & 6. l. 19. c. de hered. & cit. *Novel. 118.* Lauterb. l. c. §. 14. qui tamen id restringit ad illos, qui publicè per sententiam declarati sunt hæretici, ita ut iis applicari nequeat, qui à privatis habentur pro hæreticis. Item etiam excluduntur à paterna & ascendentium hereditate filii ob hæresin damnatorum. c. excommunicamus. §. damnati de hæresi. Pirh. h. t. n. 10. Reiffenst. n. 19. secus esse in Germania, ubi hæretici tolerantur.

8. R. Tertio: succedere nequeunt liberi naturales tantum, & non legitimi aut legitimati, quales dicuntur progeneri ex personis solutis tempore conceptionis ad contrahendum inter se non inhabilibus, matre vel concubina vel meretrice publica, aut pluribus ita exposita, ut pater eorum sciri nequeat, qui posteriores vulgo dicuntur spurii seu quæriti, hi enim quidem ab intestato æqualiter cum legitimè natis succedunt matribus (etsi eæ sint illustres, habeantque alios liberos legitimos) & ascendentibus maternæ lineæ. Carpz. *7. F. p. 2. c. 14. d. 58.* Lauterb. *l. c. §. 18.* pro ut constat ex *L. 1. §. 2. ff. unde cognitio. L. 1. §. 2. ff. ad S. C. Tertul. §. 3. Inst. l. 5. de SC. Orphitian.* Patri verò nullatenus succedunt, si eo mortuo, legitima ejus proles vel nepos aut uxor legitima existat; quamvis iis arbitrato viri boni alimenta concedantur. Auth. *licet. c. de lib. natural. Novell. 89. c. 12. §. 6.* possitque pater illis unam unciam, vel si concubina sola sit, semiunciam relinquere vel donare. per *L. 2. de natural. liber.* Lauterb. *l. c.* Legitimis verò liberis, nepotibus & uxore deficientibus, pater quidem naturalibus talibus totam substantiam donare vel relinquere potest, ei tamen ab intestato non succedunt in solidum, sed præter alimentum capiunt sextam partem bonorum, seu duas uncias dividendas inter illos illegitimos & matrem eorum, ita ut una matri, altera prolibus relinquatur, vel, dum plures fuerint, mater unius filii, quotquot fuerint, accipiat partem, prout hæc in *Novel. 18. c. 5. & Novel. 89. c. 9.* habentur. Modò tamen pater ex una sola concubina habeat plures illos liberos; si enim ex diversis concubinis habeat illos, & illi & matres careant hoc beneficio in odium libidinis paternæ, ut Reiffenst. *h. t. num. 15.* juxta *Novel. 89. & Auth. licet. c. de natur. liber.* Et hæc quidem de filiis naturalibus primi gradus intelligenda; posteriores enim ex filio naturali ad avi immediatam successione non admittuntur. Gail. *L. 2. obs. 115. n. 1.* Lauterb. *§. 18.*

9. Resp. Quarto: liberi nati ex damnato concubitu, quales sunt, inter quos tempore conceptionis seu congressus matrimonium esse non potuisset, puta filii Presbyterorum, nati ex incestu vel adulterio, qui etsi Jure civili propriè spurii non sint; Jure tamen Canonico promiscuè cum natis ex publica meretrice veniunt nomine spuriorum; hi inquam nec patri nec matri (etiamsi hæc soluta seu libera fuisset) nec ulli ascendentium aut transversalium succedunt, etiamsi nulli legitimi existant; ita ut illis de Jure civili denegentur alimenta. Carpz. *p. 3. c. 14. d. 11. num. 3.* Gail. *L. 2. obs. 88. num. 1.* Lauterb. *l. c. §. 20.* juxta quod constat ex *Auth. ex complexu. c. de incest. nupt. Novel. 74. c. ult. Novel. 86. c. fin.* Quamvis rigor ille Juris civilis mitigatus sit Jure Canonico quò ad alimenta, ut ea illis à parentibus præstanda per. *c. 5. de eo, qui duxit in uxorem.* Gail. *l. c. num. 4.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 16. ch. 3. lit. g.* Lauterb. *l. c.* Reiffenst. *h. t. n. 18.* Sic quoque Jure Bavarico statutum dicens, ut hujusmodi liberi ex bonis parentum alantur, saltem tandiu, donec ipsi labore manuum aut arte victum sibi comparare possint.

Quæst. 779. Qualiter liberi ulterioris gradus seu nepotes succedant ascendentibus.

1. Resp. Primo: nepos legitimus vivente suo patre ad avi successione non admittitur. Si verò cum descendentibus primi gradus concurrant secundi vel ulterioris gradus. v. g. si defunctus reliquerit Titium, & ex alio filio Cajo mortuo nepotes,

& ex tertio filio sempronio similiter mortuo pronepotes; nepotes hi & pronepotes succedunt ab intestato avo & avia: una cum illorum filio Titio superflite, cum hoc tamen discrimine, ut hi succedant in stirpes. v. g. dividitur in hoc casu hæreditas avi in tres partes æquales, una obvenit ejus filio Titio, altera, quæ obventura fuisset ejus filio Cajo, si supervixisset, obvenit nepotibus avi ex Cajo filio relictis seu filiis Caji, inter eos, quotcumque tandem eorum sint, dividenda, utpote qui omnes simul sumpti repræsentant suum patrem nempe Cajum, Tertia pars, quæ obventura erat sempronio, obvenit pronepotibus avi, eorum patre, nempe sempronii filio mortuo, uti hæc sumuntur ex textibus. *§. 3. Inst. de hered. que ab intest. Novel. 118. & Auth. in successione. c. de suis & legit.* Atque ita etiam, si nullis existissent liberis primi gradus existerent soli nepotes avi ex diversis liberis primi gradus, seu ex ejus filiis, omnes succedunt in stirpes, sive æqualis, sive inæqualis sint numeri, ita, ut, si eorum avus tres habuisset filios, & ex primo unum nepotem, ex secundo duos vel tres, ex tertio quatuor vel plures, ille unus nepos tantundem ex substantia avi acciperet, quàm isti tres vel quinque, eò quòd tam hi quàm isti non nisi portionem, quam eorum patrem, quem repræsentant, accepisset, accipiant. Idem dicendum, si plures in ulteriore gradu. v. g. pronepotes vel abnepotes existant (non enim hæc descendentium successio ab intestato limitatur, ut aliqui volunt, ad filios & nepotes, sed extenditur in infinitum, ut Vasq. *in opus. de testam. c. 4. §. 1. n. 13. de Lugo. Tom. 2. de 7. & 7. d. 24. num. 177.* cum Gomes.) sive æquali, sive inæquali numero, sive ejusdem, sive diversi gradus; cum quis eorum numerus suum semper repræsentet parentem, & non plus de hæreditate capiat ab intestato, quàm patrens eorum habuisset; ita ut pronepotes & abnepotes alique in quocumque gradu remotiore per liberos etiam primi gradus non excludantur à successione abavi & proavi. Circa quæ illud notandum; quòd si parens nepotum, nempe filius avi hæreditatem ab intestato adire nollet vel non posset, adhuc præfato modo succederent nepotes legitimi, ut contra Hunn. docent Haunold. *de 7. & 7. r. 5. c. 3. controuv. 2. n. 424.* Besold. Manz. Forster. quocitat & sequitur Reiffenst. *h. t. n. 12.* Arg. *L. 7. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.*

2. Resp. Secundo: nepotes naturales legitimati per subsequens matrimonium eodem modo, quo legitimè nati avo ab intestato succedunt; uti etiam de nepotibus legitimatis per rescriptum Principis idem proportionaliter dicendum, quod de liberis primi gradus ita legitimatis dictum *quæst. præced.* cum nomine liberorum etiam nepotes veniant, ubi jura specialiter aliud non disponunt. *L. liberorum. de V. S.* Pari quoque modo loquendum de nepotibus naturalibus non legitimatis, etiam spuriiis propriè talibus, quo locuti sumus de istiusmodi liberis primi gradus; nimirum quòd, licet succedant avia maternæ aliis ascendentibus ex linea materna secundum. *L. 8. ff. unde cognat.* avo verò paterno spurii propriè tales, nati nempe ex publica meretrice, nullatenus succedant; cum patrem certum nominare nequeant. Quòd idem de naturalibus non spuriiis, quòd & hi ne quidem in duabus uncias succedant avo paterno, dicunt Schneidevvin. *L. 3. tit. 1. de success. liber. natural. & alii.* Arg. *L. fin. c. de natural. liber.* Contrarium tamen, nimirum, quòd eodem modo succedant avo, quo filius naturalis patri suo, puta in duabus uncias, si nulli sint legitimi descendentes, nec uxor legitima, tenentibus Co-

var. de matrim. p. 2. c. 3. §. 4. n. 18. & aliis, eand. L. fin. aliter interpretantibus, de quo vide Reiffenst. h. 2. n. 26. de cetero circa hæc omnia, ut bene Idem monet, notandum dicta hæc de successione descendendum procedere de jure communi, dum interea statuta particularia & consuetudines locorum in pluribus habeant contrarium. v. g. quod alicubi primogeniti succedant, fœminæ cum masculis nobilibus non æqualiter succedant, sed contentæ esse debeant certa portione assignata per statuta vel de consuetudine. quod nepotes naturales cum legitimis existantibus avia maternæ ab intestato non succedant. de quo postremo specialiter testatur, Reiffenst.

Quest. 780. Qualiter ascendentes succedant descendentibus.

Resp. Deficientibus descendentibus omnibus, hoc est, liberis, nepotibus, abnepotibus, &c. in infinitum. sororibus, item fratribus germanis, sive ex eodem patre eademque matre progeniis, eorumque liberis; succedunt ab intestato ascendentes utriusque sexûs, pater & mater, avus & avia æquis portionibus, mediæ tate nimirum parte bonorum obveniente patri, & altera mediæ tate matri. idque, etiamsi omnia vel plura filiis seu descendentibus bona proveniant ab uno parentum. v. g. à linea paterna, ut de Lugo. *Tom. 2. d. 24. n. 182.* citatis Valq. & Molin. item Covar. in *epitom. de success. ab intestatorum* 2. Fachin. *L. 6. contrrov. c. 4.* Mynf. *centur. 6. obs. 55.* Pirh. *h. t. num. 12.* Lauterb. *l. c. §. 25.* cum probabilior contra Bart. ex ea ratione; quod bona semel acquisita, undecunque provenierint, consolidantur in aliis, ita ut unum patrimonium & hæreditatem efficiant; & quod *Auth. de hæredib. ab intest. venient.* Loquatur generaliter & indistinctè, utendo nomine hæreditatis. modò tamen bona, in quæ succeditur, sint allodialia; cum in feudalibus regulariter nulla sit successio. 2. *feud. 50.* Lauterb. *l. c. §. 29.* Item cujuscumque tamen aliquas exceptiones pati dicens. Hoc cujuscumque sint conditionis ascendentes, sive nobiles, sive ignobiles. Lauterb. *l. c.* cum Carpz. *p. 3. c. 17. d. 9.* cum, ut Idem cum Fabr. in *Cod. L. 6. tit. 31. d. 11. num. 7.* in ascendentium successione, non dignitas, sed jus sanguinis & proximitatis consideretur. Item cujuscumque sint gradûs, etiam in infinitum; exclusis omnibus ex latere cognatis, exceptis, ut dictum, fratribus germanis. semper servato ordine majoris proximitatis, ita ut proximior semper excludat remotiorem, etiam sola matre existente. adeoque vivo defuncti filii patris, succedere nequeat avus illius, neque solus, neque unà cum patre, uti nec patre illius defuncto, matre superstite, succedere possit avus paternus, sed sola mater. Nichilque refert, sive descendens, cui succeditur, fuerit jam emancipatus, sive sub patria potestate ascendentis constitutus. prout hæc sumuntur potissimum ex *Novell. 118. c. 2.* per quam etiam correctum est jus antiquum, quo mater excludebatur à successione filiorum. & ita ferè quò ad hæc omnia de Lugo. *l. c.*

2. Resp. Secundò: si plures ascendentes sint ejusdem gradûs proximioris. v. g. secundi, ut avus paternus & avia paterna, avus maternus & avia materna sine fratribus & sororibus germanis; vel etiam unus solus cum aliis. v. g. cum avo & avia paterna solus avus, vel sola avia materna, vel è contra, omnes defuncto nepoti vel pronepoti succedunt æqualiter, non quidem in capita, sed in stirpes; ita

ut hæreditas dividatur in duas partes inter illos ascendentes, unaque cedat ascendentibus à patre defuncti, sive sint plures, sive pauciores, nimirum avo & avia paternis, vel soli avo, si is solus sit sine avia. altera ascendentibus à matre ejusdem, avo & avia maternæ, vel uni eorum, qui superstes est, pro ut hæc expressè disponuntur. in *Novell. 118. c. 2.*

3. Resp. Tertio: si cum ascendentibus æqualis gradûs existant germani fratres vel sorores defuncti, omnes succedunt æqualiter in capita; ita ut fiant portiones, quot sunt capita. v. g. existentibus patre & matre defuncti ejusque tribus fratribus, fiant quinque portiones. item mortuis patre & matre illius, existentibus avo & avia paternis unà cum avo materno & tribus ejus fratribus, fiant sex portiones, ut juxta sæpe. cit. *Novell. 118. c. 2.* Gl. communiter recepta. *ibi. v. promiss. Covar. l. c. n. 6.* Fachin. *L. 6. contrrov. c. 7.* de Lugo. *cit. d. 24. n. 79.* Pirh. *h. t. n. 14. juncto n. 15.* Reiff. *n. 31.* Huic posteriori casui non obstante, quòd in *cit. Novel.* dicatur, fratres succedere cum proximis gradu, quales quia non sunt avus & avia, sed pater & mater defuncti, in hoc casu videantur succedere soli fratres, nam in hoc casu avus & avia erunt proximi, quales in *Jure. L. 92. ff. de V. S.* dicuntur, quos nemo antecedit, uti in hoc casu mortuis patre & matre, avum & aviam superstites nemo antecederet; quin & his mortuis ab avus & ab avia dicendi sunt proximi. Porrò in ea portione, quam frater habet ex fratre defuncto, patrem aliosque ascendentes, in quorum fortè potestate est, non habere usumfructum, docet de Lugo. *l. c.* quem vide. uti etiam, si pater succedens filio, usumfructum, quem fortè in aliquibus bonis illius habuit, amittit, & portiones fratribus illius liberis seu pleno jure relinquere debet. *Arg. cit. Novel. 118. c. 2.* Lauterb. *§. 25.* quamvis, ut Idem, dum dicitur, remotiores excludi à proximioribus, id accipiendum de bonis filii propriis, non verò de bonis, quæ ad patrem vel avum jure patriæ potestatis pertinent; hæc enim solus retinet, etsi mater sola ex assè succederet. De cetero contrarium est in fratribus & sororibus utrinque non conjunctis, seu non germanis, sed uterinis, hi enim excluduntur ab ascendentibus. Pirh. *cit. n. 15. in fine.* Reiffenst. *n. 32.* juxta *Auth. defuncto c. ad SC. Trebell. & Arg. Auth. de hæred. c. 2. §. Novell. 118. c. 2.*

4. R. Quarto: succedunt quoque unà cum ascendentibus, puta, patre vel matre, avo vel avia dictorum fratrum germanorum liberi præ mortuis eorum parentibus, non tamen in capita sed in stirpes, sine differentia sexûs; quatenus nimirum jure representationis veniunt in locum parentum. Lauterb. *§. 28.* cum communi, uti expressè statuitur. *Novel. 127. c. 1.* per quam signatè corrigitur. *Novel. 118. c. 3.* proles tales à successione excludens. Licet autem hi fratrum filii unà cum parentibus & fratribus defuncti admittantur ad hæreditatem patris, si tamen soli existant sine alio fratre defuncti, non admitti illos, sed excludi ab ascendentibus per *Auth. ut fratrum filii. c. 1.* tradunt Cujac. *ad Novell. 118. Zoës. ad ff. de suis & legit. hæred. num. 28.* Perez. *ad tit. c. ad SC. Tertull.* Pirh. *h. t. num. 14.* *Arg. Novel. 127.* contrarium tenentibus Cyno. *tr. de success. ab intest. §. nunc ex hac. p. 2. num. 5. §. 9.* Forster. *de success. 3. c. 7.* Schneidev. *L. 3. tit. 8. de secund. grad. succed. num. 29.* Carpz. *p. 3. c. 17. d. 4. num. 3.* Gudelin. *de jur. nov. l. 2. c. 14.* Lauterb. *l. c. §. 26.* citatis pluribus aliis, dicens hanc sententiam in praxi esse receptiorem. item eandem

veriore dicens Haunold. *ir. §. c. 3. num. 478.* Arg. *cit. novel. 127.* ex cujus rubrica satis videtur patere, nullam in hoc faciendam distinctionem quò ad hoc inter filios fratris sine aliis, vel cum aliis fratribus exstantes, insuper nulla sit ratio, cur potius in uno casu fratris filii succedant, quàm in altero. unde in hac sententiarum varietate, dum utriusque AA. utramque esse probabilem satis dicunt, locum esse transactioni, ait Reiffenst. *b. t. num. 35.* & Jus Bavariae stare pro posteriore. Non tamen hoc privilegium successione competens prolihus fratrum Germanorum extenditur ulterius ad horum fratrum nepotes; sed hi per parentes & fratres defuncti excluduntur. tum quia; cum *cit. novel. 127.* sit correctoria prioris. *novel. 118.* non debet extendi ad casus in ea non contentos; tum quia jus representationis ultra fratris filios locum non habet in linea collateralali. Arg. *auth. post fratres. c. de legit. hered.* ita Pirh. *l. c.* Reiffenst. *num. 33.* Lauterb. §. 27. Ceterum filiis naturalibus & illegitimis in iis casibus, in quibus succedunt tales liberi, succedunt iisdem eorum parentes in bonis, & extra hos casus non. *auth. quib. mod. natur. efficiant. c. 13. coll. 9. novell. 89. c. 13.* Covar. *l. c. num. 13.* Zoës. in *ff. de suis & legit. hered.* quos textus & AA. citat Pirh. *num. 16.* & insuper Bart. & Bald. Reiffenst. *num. 36.* Lauterb. *num. 32.* eò quòd jura ascendendum & descendendum naturalium tantum in successione & alimentis sunt reciproca per *novel. 89. c. 13.* Unde & spuriiis propriè talibus nec pater, nec ullus ascendendum ex paterna linea succedit, etsi iis succedat mater & ascendentes omnes ex materna linea, *l. 2. ff. unde cogn.* natis autem ex damnato concubitu nullus ascendendum succedit, utpote qui tanquam odibiles personæ pro liberis & parentibus non habentur. *cit. novel. 89. c. fin.* Lauterb. *cit. §. 32.*

5. Quod spectat ascendentes legimos tantum, id est adoptivos; si pater adoptivus (idem est de aliis ulterioribus gradibus ascendentibus) est extraneus, non succedit filio adoptivo, sed illo excludo, succedit illi pater ejus naturalis, vel etiam eo mortuo avus naturalis. Lauterb. §. 31. juxta §. 2. *Inst. de adop. l. 10. c. eod.* His non obstante, quòd filius adoptatus patri adoptanti succedat per *cit. l. 10. §. 1.* & quòd jura successione debeant esse reciproca per *l. 11. c. de legit. hered.* nam id in hoc casu fallit; cum æquitas ratio non permittat, & pater naturalis per simplicem actum civilem, qualis est adoptio, successione privetur. Lauterb. *l. c.* cum Stryck. Dixi tamen: si pater aut ascendens adoptans est extraneus: si enim avus ex filio nepotem adoptavit, is in successione adoptati cum patre & matre naturali ejusdem succedentibus in beneficio *novelle 118. c. 2.* concurrat jure adoptionis. Lauterb. *l. c.* ubi etiam, quòd pater arrogator liberis arrogatis succedat per §. 2. *Inst. §. 2. de acquir. per arrogat.* & cum eo fratres & sorores Germani puberis arrogati, & quidem in capita. arrogato verò defuncto intra pubertatem, pater arrogator ob cautionem præstitam bona restituere debeat juxta §. 3. *Inst. de adop.*

Quæst. 781. Qualiter defuncto succedant fratres alique consanguinei collaterales?

Resp. primò in genere: deficientibus ascendentibus & descendentibus defuncto intestato succedunt collaterales ei sanguine juncti usque ad deci-

mum gradum inclusivè, & quidem hodie dum indifferenter ex utroque Latere, dum alias olim, ut de Lugo. *cit. d. 24. num. 184.* differentia erat inter consanguineos ex parte virorum; qui dicuntur agnati, & ex parte faminarum, qui dicuntur cognati. ita tamen, ut proximiores gradu totaliter excludant remotiores ceteris paribus, quæ proximioritas qualiter computetur, dictum est supra. Addidi: *ceteris paribus*: nam id speciale est, quòd etiam fratrum Germanorum filii præferantur reliquis transversalibus, etiam fratribus non germanis, etsi hi sint defuncto proximiores, ut Lauterb. §. 35. Fachin. *l. 6. c. 3.* Pirh. *h. t. num. 20.* Reiffenst. *num. 41.* dicens esse certam juxta *novel. 118. c. 3. v. unde consequens.*

2. Resp. secundò in specie: succedunt itaque in capita omnium collateralium primi defuncti fratres & sorores germani seu bilaterales, nempe ex eodem patre & matre nati, exclusis fratribus & fororibus unilateribus, tam consanguineis, id est, natis ex solo patre eodem, quàm uterinis, id est, ex sola matre eadem natis. his non obstante, quòd fratres hi consanguinei & uterini sint in æquali gradu juncti defuncto; eò quòd, cum germani duplici vinculo, & alii non nisi uno simplici juncti sint, meritò his illos jura præponant. de Lugo *l. c. num. 185.* Pirh. *h. t. num. 17.* Lauterb. *l. c. §. 33.* cum communi, pro ut expresse disponitur in *novel. 118. c. 3. & Auth. itaque. c. communia de success.* & hæc, etiam si patres eorum, seu fratres germani sint defuncti. Lauterb. §. 35. qui etiam addit, in eo casu illos liberos succedere in capita, cum hac tamen etiam limitatione & differentia inter fratres & sorores germanas, quòd fratres hi suas sorores, etiam germanas, excludant, vel saltem præcedant in successione feudalibus. *c. unic. §. 3. de f. P. Schrad. de feud. p. 7. c. 4.* alique citati à Lauterb. *l. c.* Item in fideicommissis familia: vel si femina congruè dotata, renunciantes; vel per statuta aut pacta. v. g. in familiis illustribus à successione in allodialibus ad tempus vel absolute excluduntur. Lauterb. *l. c.* Liberi quoque Germanorum in stirpes succedunt, exclusis fratribus defuncti consanguineis & uterinis omnibusque aliis collateralibus. Lugo *num. 185.* Pirh. *num. 19.* Reiffenst. *num. 19.* Lauterb. §. 34. idemque obtinere per totam Germaniam in feudis, apud eundem ait vultei. *de feud. l. 1. c. 9. num. 109.* Admitti tamen etiam cum fratribus germanis consanguineos, exclusis uterinis in successione feudorum, utpote in quibus non vinculi duplicitas, sed sola agnatio consideratur, tradit cum Carpz. & aliis à se citatis Lauterb. *l. c.* & ita in Camera observari testatur Gail. *l. 2. obser. 151. num. 1.* idemque de fideicommissis paterno dicit Lauterb.

3. Resp. tertio: si neque existentibus fratribus aut fororibus germanis, aut etiam fratribus & fororibus unilateribus, seu ex uno tantum parente junctis, supersint soli liberi ex defuncti fratribus germanis, hi omnes succedunt in capita, etiam si plurium fratrum, aut in diverso numero sint liberi. v. g. Titio defuncto, de cujus hereditate agitur, supersunt ex uno ejusdem fratre germano præmortuo tres liberi, ex alio ejusdem fratre germano præmortuo unus, ex ejusdem sorore præmortua unus, hereditas dividitur in sex æquales partes, æqualiter inter sex illos liberos dividenda, contra Gl. in *auth. cessant. c. de legitim. hered. v. stirpes.* Accurs. *ibid.* Bart. & alios cum communiore & veriore, ut ajunt, tradunt Fachin. *l. 6. c. 4.* Covar. in *Epitom. de success. num. 12.* Molin. *ir. 2. d. 164. n. 12.* Myning. *cent. 3.*

cent. 3. obs. 49. Pirh. h. t. num. 21. Reiffenst. num. 39. probantes hanc sententiam ex *Auth. de hered. c. 3. & l. 2. §. 2. ff. de suis & legit. hered. l. penult. c. de legit. hered.* eamque anno 1529. in Comitibus Spirensibus speciali constitutione à Carolo V. approbatam testantes, ex ea etiam ratione, quòd quando filii fratrum absque patris soli existunt, nulla opus sit representatione; cum tunc filii proprio conjunctionis jure, & ex propria persona succedant. His etiam non obstante *novel. 118. c. 3.* cum in ea, ut volunt adversarii, correcta quòd ad hoc non sint jura antiqua, sed solum in eo, quòd statuit, filios illos succedere non in capita, sed in stirpes concurrant cum fratribus & sororibus, sive cum patris suis. Quòd si verò pramortuis fratribus & sororibus Germanis extent eorum liberi, unà cum fratribus eorum non Germanis, etsi hos excludant, ut dictum paulò ante, succedere tamen tunc in stirpes, tanquam communiore defendunt Fachin. *l. 6. c. 3.* Pirh. num. 20. Harpr. Manz. quos citat & sequitur Reiffenst. num. 41.

4. Resp. quarto: si nulli defuncti fratres vel sorores germani, nec ulli eorum liberi extent, succedunt fratres & sorores unilateres consanguinei nempe & uterini, excludendo omnes alios collaterales, eodem modo, quo germani; ita ut, si soli sint, in capita succedant; si verò adsint unius vel alterius horum unilaterum filii, eorum patribus demortuis, hi, utpote representantis suos patres defunctos, succedunt in stirpes. de Lugo. *l. c. num. 186.* Pirh. num. 22. Reiffenst. num. 42. Lauterb. *l. c. §. 36.* juxta quòd disponitur in saepe cit. *novell. 118. c. 3.* & sicuti istiusmodi fratres excludunt patruos & avunculos, ita & eorum liberi jure & ratione dictæ representationis eosdem excludunt. Valq. *de testam. c. 4. §. 3. du. 2.* Molin. Gomes quos citat & sequitur de Lugo. *l. c. num. 190.* etsi allatam ab iis rationem non ad modum probet, item Reiffenst. *l. c.* juxta clarum, ut ait, textum *auth. post fratres autem. c. de legit. hered.* de quotamen vide de Lugo. In eo verò, an, dum defuncto succedunt fratres non germani, partim consanguinei, partim uterini, sit facienda distinctio, ita ut uterini succedant defuncto in bonis, quæ ei obvenerunt ex parte matris; & consanguinei in iis, quæ obvenerunt defuncto ex parte patris; an verò in omnibus bonis æqualiter succedant, nullà habità ratione; an bona à patre, an à matre defuncti obvenerint, in eo in quam non conveniunt AA. Priorem sententiam tenent Bartol. in *auth. itaque. c. communia de success. num. 13.* Jason. in *l. post dotem. ff. solut. matrim.* Covar. in *epitom. de success. num. 13.* Molin. *l. c. d. 164. concl. 6.* Valq. *de testam. c. 4. §. 3. num. 66.* quos citat & sequitur de Lugo *l. c. num. 187.* dicens communem juxta *L. de emancipatis. c. de legit. hered.* dum ibi dicitur: exceptis maternis rebus, in quibus, si de eadem matre fratres vel sorores sunt, eos solos vocari oportet &c. Nihilominus posteriore sententiam tuentur Fachin. *l. 6. c. 5.* Fulgos. & Corn. in *cit. auth. itaque.* Haunold. *tr. 5. c. 3. controuv. 4. num. 515.* Bald. Salycet. Manz. (qui etiam addit priorem sententiam potius autoritate quam jure niti) & alii, quibus inhaeret Reiffenst. *h. t. num. 43.* nititur hæc sententia *novel. 118. c. 3.* dum ibidem uterini & consanguinei æqualiter vocantur ad successionem. ea quoque ratione, quòd postquam bona à patre & matre venerunt ad fratrem, desierint esse bona paterna & materna, factaque sint bona fraterna; & insuper,

quòd ex contraria sententia præter alia id absurdi consequatur; quòd in casu, quo cuncta bona à patre, & nulla à matre, utpote paupere, profecta sunt, uterinus totaliter à consanguineo fratre excluderetur, adeoque nihil caperet, quòd est contra mentem Imperatoris in *cit. novell. 118.* satis expressam. textum etiam desumptum ex *L. de emancipatis*, præterquam, quòd aliqui dicant legem illam esse correctam per *cit. novell. 118.* respondet Fachin. *l. c.* non loqui eum de uterinis sed de germanis, quos Imperator volebat præferri quòd ad bona provenientia à matre fratribus consanguineis, etiam eo tempore, quo olim consanguinei cum germanis succedebant. quam responsionem suam ex eo confirmat, quòd eo tempore uterini nullatenus ad successionem fratrum admittebantur; cum hæc iis postmodum concessa per *L. meminimus. c. de legitim. hered.* posteriorem lege de emancipatis.

5. Resp. quinto: deficientibus omnibus fratribus, tam germanis, quam non germanis defuncti, eorumque liberis succedunt ab intestato ceteri collaterales sanguine juncti, sublato omni representationis jure (utpote quòd in linea collateralit tantum in fratrum sororumque liberis primi gradus locum habet, & ultra non extenditur) & sine omni distinctione aut differentia agnationis & cognationis; vel paternorum & maternorum bonorum, nullaque observatà duplicitate, secundum gradus prærogativam, ita ut gradu proximior, excludat remotiorem; etsi sint pares gradu, æqualiter succedunt, non in stirpes, sed in capita. Pirh. *h. t. num. 23.* Reiffenst. num. 47. Lauterb. §. 37. citatis aliis juxta expressos textus *novell. 118. c. 3. §. 1. & auth. post fratres. c. de legit. hered.* dum autem hæc successio jure civili defertur, non ad decimum gradum tantum, ut volunt aliqui, sed in infinitum. *cit. novel. & l. 2. §. 1. ff. de suis & legitimis.* Imperatorem usum numero certo pro incerto exempli gratià, ait Lauterb. quamvis etiam hæc quæstio: num successio extendenda ultra decimum gradum: videatur habere parum utilitatis; cum talis cæjus successio ab intestato vix contingat. Porro notandum hic de hac successione collateralium, quòd, dum quis certus jam de morte illius, ad cujus hereditatem aspirat, petit hereditatem tanquam cognatus, eum cognationem probare debere. *L. 2. ff. de prob.* Lauterb. §. 41. quin & gradus proximitatio, ut Idem cum Franzk. *ad Inst. ut de hered. que ab intest. c. 1. num. 37.* & aliis. Cumque ea probatio difficillima habeatur, admitti indicia, præsumptiones, conjecturas; quin & testes de audito, dum probanda ultra quartum gradum, cum Felin. Mascard. Carpz. tradit Idem. Notandum item, dicta hucusque de successione fratrum, etsi principaliter spectent ad fratres naturales & legitimos ab initio, extendere se tamen etiam ex æquitate ad legitimos per subsequens matrimonium. *Novell. 89. c. 8. c. tanta. qui filii sint legit.* Quid verò sit circa fratres legitimos per rescriptum Principis, colligendum ex dictis supra de filiis hoc modo legitimatis. Videri quoque potest apud Lauterb. *ad ff. de success. juris noviss. secund. Novell. 118. §. 16.* Inter legitimos verò tantum, hoc est, arrogatos & adoptivos hoc faciendum discrimen, ut arrogati jus habeant ab intestato succedendi suis fratribus naturalibus per *L. 3. ff. ad SC. Tertull. juncto §. 3. Inst. eod.* ut Lauterb. *l. c. §. 39.* quòd idem est de adoptivis per *l. penult. c. de adopt. l. 2. §. 3. de suis & legit.* si adoptati sunt ab aliquo ascen-

ascendentium. Qui tamen etiam in feudis non succedunt. *c. unic. 2. feud. 26.* sed neque in allodialibus sibi succedunt, si adoptati ab extraneo cit. *l. penult. §. 1. Lauterb. l. c.* verum de adoptivis sine distinctione id negat Reiffenst. *num. 48.* citans Schneid. *L. 3. tit. 1. de test. ord. succed. n. 41.*

6. Resp. Sextò: fratres illegitimi seu naturales tantùm, ut & spurii ex eodem patre sed diversis matribus nati, sibi invicem non succedunt. Covar. *de matrim. p. 2. c. 8. §. 5. n. 26.* Schneid. *l. c. n. 42.* Lauterb. *§. 40.* Engels *h. l. n. 13.* Reiffenst. *n. 49.* juxta *novell. 89. c. 4. l. si spurii. ff. unde cognat.* Neque etiam succedunt fratribus legitimè natis aut legitimatis; neque hi illis; cum successio hæc sit reciproca, ita ut legitimus succedere nequeat illegitimo in casu, ubi hic succedere nequit legitimo. Covar. *in epitom. success. in fin. arg. cit. novel. 89. c. 4.* Fratres tamen hujusmodi illegitimi uterini, seu ex eadem matre nati, non tantùm sibi invicem, sed etiam fratribus legitimis uterinis succedunt, & hi vice versa illis. *l. si spurii. L. 2. ff. unde cognat. §. 4. Inst. de success. cogn. novel. 118. c. 3. in fin.* Covar. *de matrim. l. c.* Schneid. *l. c. n. 44.* Reiffenst. *n. 50.* Lauterb. *l. c.* Qui tamen hanc addit limitationem: ut si concurrat frater defuncti germanus, hic cum exclusione aliorum sit præferendus per *cit. novel. 118. c. 3.* & quòd mater etiam naturalis à successione fratris excludatur, per *eand. novel. c. 2.* uti & Jure Wurtenb. frater naturalis tantùm eosdem parentes habens excludat uterinum. De cætero nati ex damnato concubitu collaterales nec sibi succedunt invicem, nec legitimis, nec hi illis, sive alias sint ex linea paterna, sive ex materna. *Novel. 74. c. fin. novel. 89. c. fin.* Covar. *l. c.* Schneid. *n. 47.* Fachin. *L. 6. c. 10.* Lauterb. *l. c.* Reiffenst. *n. 51.* contra de Ubald. *de success. ab intest. p. 3. col. 4.* Curtium Jun. *conf. 123.* & alios apud Covar.

Quæst. 782. An & quando & quomodo sibi succedant conjuges?

1. Resp. primò: ubi defunctus nec ascendentes, nec descendentes, nec collaterales sanguine junctos reliquit, succedit conjux superstes, sive uxor, sive maritus, excluso Fisco juxta clarum textum. *l. unic. c. unde vir & uxor.* cum sint utriusque fortunæ casuum participes, ut dicitur *L. 22. §. ff. solut. matrim.* nisi in contrarium adsint pacta dotalia, vel statuta, aut consuetudines locorum. Idque etiam si matrimonium non fuerit consummatum; cum matrimonium, non concubitus sed consensus faciat. *l. nuptias. de R. 7.* & si quò ad effectum successione requireretur consensio talami, per hanc tamen non intelligi copulam carnalem, post Besold. Carpzov. Boër. Harpr. ait Lauterb. *l. c. §. 45.* Porrò hæc successio restringitur ad solos conjuges cum exclusione quorumcunque affinium; cum jure affinitatis nulla admittatur successio juxta *L. 7. c. communia de success.* unde socer non succedit Genero Barry. *de success. L. 18. tit. 4. n. 10.* Kohl. *de success. conjug. p. 1. n. 45.* Lauterb. *l. c. n. 42.* sed neque extenditur ad sponfos de futuro. Lugo *cit. d. 24. n. 192.* vide de hoc Lauterb. *§. 45.*

2. Resp. Secundò: ut verò locum habeat hæc successio (intellige in omnia bona defuncti conjugis) requiritur primò, ut nulli sint cognati. Nam si maritus defunctus dives reliquit liberos vel alios cognatos sanguine junctos & uxorem indotatam & pauperem, uxor ab intestato capit quartam hereditatis partem, si non sint plures quàm tres liberi, si plures

sint, succedit cum illis in capita, seu accipit tantam portionem, quantum qualibet proles legitima. Uti etiam succedit in quartam partem cum lateralibus, ubi hi succedant defuncti nullos ascendentes aut descendentes relinquenti, cum hoc discrimine, ut, si uxor cum liberis mariti succedit, habeat tantùm usum fructum portionis sibi debitæ ad dies vitæ, reservata proprietate liberis. Succedens verò cum lateralibus, etiam proprietatem suæ portionis retineat; in quam tamen etiam partem computanda, quæ ei à marito legata vel donata de Lugo *l. c. n. 193.* Reiffenst. *n. 35.* Lauterb. *§. 46.* addens, hanc portionem ex speciali legis beneficio uxori debitam ex bonis conjugis defuncti are alieno deducto, nec per testamentum nec per aliam dispositionem auferri aut minui posse, pro quo citat. Gratian. *discept. for. Tom. 1. c. 120. n. 34.* Carpz. *p. 3. c. 7. d. 4. §. 8.* Ludvvel. *de ult. vol. p. 1. c. 4.* Et hæc juxta ea, quæ de his omnibus expressè statuuntur. *Auth. præterea. c. unde vir & uxor juncta novel. 117. c. 5. §. novel. 53. c. fin.* ex ea ratione, ut uxor in opprobrium mariti defuncti mendicare, aut aliàs secundum statum suum indecenter vivere non cogatur. Si verò uxor marito dotem attulit, eamque soluto matrimonio repetit juxta *c. fin. de donat. inter virum & uxorem,* nihil ei debetur ex bonis mariti, nisi dos illa ita modica sit, ut ad sustentationem insufficientis, ut cum Schneid. *l. c. n. 17.* Reiffenst. *n. 57.* uti etiam ei ex bonis mariti nihil debetur, etiam si dotem non attulerit, si tamen aliunde media sufficientia habeat; quia ad accipiendum quid ex illis bonis requiritur, ut sit pauper, juxta quòd expressè dicitur *cit. auth. præterea & novel. 53. c. fin.* qualis nam sit, arbitrandum Judici relinquuntur per *gl. in cit. auth. præterea. V. locuples.* Idem, quòd in hoc puncto & circumstantiis dictum de uxore, dicendum quoque de marito; ita ut & hic pauper succedat in quartam vel virilem partem cum filiis. Ut juxta *cit. auth. præterea.* loquentem indistinctè de utroque conjugum, & *novel. 53. c. 6.* expressè tradentem hanc sententiam, tenent *gl. in auth. præterea.* Schneid. *l. c.* Engels. *h. t. n. 15.* & dd. communiter apud Reiffenst. *n. 58.* qui tamen bene dicit huic sententiæ gravem obmoveri difficultatem ex constitutionibus novissimis *novelle 117. c. 5. in fin.* dum ibi dicitur: virum enim talibus casibus quartam secundum priorem nostram legem ex substantia mulieris accipere omnibus modis prohibemus.

3. Secundò requiritur tam ut uxor in totam hereditatem, quàm in dictam partem aut portionem virilem succedat, non tantùm, ut matrimonium sit justum seu legitimum, & ut inquit Lauterb. *§. 42.* duret mortis tempore (quousque juxta Catholicos non potest non durare quòd ad vinculum) sed etiam, ut tempore mortis non fuerit inter eam & maritum divortium quòd ad habitationem vel torum. *l. unic. ff. unde vir & uxor.* ex ea ratione, quòd causa hujus successione sit illa individua conjunctio maris & feminae societas, quæ cessante, cessat etiam successio illa juxta *c. cessante de appell. Pirh. h. t. n. 24.* Reiffenst. *n. 53.* Non obstant tamen, quòd divortium illud præcesserit, modò tempore mortis sint reconciliati, ut de Lugo *n. 192.* cum Vasq. *l. c. §. 3. du. 2. n. 62.* Quin etiam conjugem superstitem adhuc succedere posse, si ipse non dederit causam divortii, censent nonnulli. Pirh. *l. c.* Zoëf. *in ff. unde vir & uxor. n. 3.* & ita à contrario tenent Lauterb. *§. 44.* Besold. *p. 5. conf. 250.* Richt. &c. dum docent, non esse locum successioni, si conjux dolo vel culpa suâ dedit causam separationi quòd ad torum. Si verò separatio

paratio illa quò ad torum fiat citra odium pari contentu utriusque, & animo fervandi virginitatem vel continentiam ex motivo honesto, dubium non est, per hoc non impediri successionem.

4. Resp. Tertio: De cetero plura sunt, quæ illam successionem impediunt. Primum, si conjux superstes defuncto causam mortis præbuit. V. G. conjugem occidendo, etiam si in adulterio deprehensam; quia non habuit jus illam occidendi. Non obstantem *L. 3. §. 3. ff. ad SC. Syllan.* dicente, in hoc si ignoscendum marito; cum id restringendum ad pœnam ordinariam. *L. Corn. ita Coler. p. 2. decis. 286. n. 27.* Struv. *de vindict. privat. c. 8. §. 1.* Lauterb. *L. 4. §. 4.* Vel etiam, licet maritus violentas manus non injecerit, struxerit tamen vitæ uxoris insidias, vel ei alimenta, id est, ad vitam necessaria denegaverit; cum talis necare dicatur *L. 4. ff. de agnosc. & alend. liber.* Vel ei decumbenti medicamenta non procuravit, vel de medico non prospexit (intellige, ubi potuit) ac ita mortem acceleravit. Secundò, si adulterii accusavit, nec obtinuerit. Tertio, si malitiosè deseruit. De quibus omnibus vide Lauterb. *l. c.* qui etiam addit: si mortem conjugis non vindicavit. pro quo citat. *L. 27. de jur. fisci & §. 44.* si intra annum luctus ad secunda vota transiit, citans pro hoc *L. 1. & 2. c. de secund. nups.*

5. Dixi in Resp. 1. nisi in contrarium sint pacta dotalia vel statuta, aut consuetudines locorum speciales. siquidem quò ad successionem conjugum ab intestato dispositioni Juris civilis hodieum ferè ubique locorum derogatum est; cum conjuges plerumq; circa successionem pactis dotalibus aliisque dispositionibus & conventionibus sibi prospiciant. Carpz. *7. F. p. 2. c. 43. d. 2.* Mynl. *cent. 2. obs. 33.* Gail. *l. 2. obs. 117.* Lauterb. *l. c. §. 49.* Et quamvis pacta etiam dotalia futuræ successionis aliàs sint invalida de jure. *L. pactum. c. de pactis. L. hereditas. c. de pactis convent. junctâ L. stipulatio ff. de V. O.* consuetudine tamen ubique, saltem in Imperio Ramano, recepta valent, & observari debent. Arg. *c. fin. de consuet.* Deficientibus verò istiusmodi pactis, recurrendum ad jura provincialia & statuta localia, quæ circa successionem conjugum sunt diversissima, ut videre est apud Lauterb. *cu. §. 49. & seq.* Et si neque ea quicquam disponant de successione conjugum, deveniendum tandem ad Jus Justinianeum seu commune, ut Lauterb. *l. c.* Ubi tamen ad statuta localia recurrendum, illud hic circa successiones, non tantum conjugum, sed in genere observandum; quòd si defunctus in alio loco mortuus, in alio loco domicilium, in alio loco bona sita habet, jura & statuta loci non observari in successione legitima, nisi quis simul ibi domicilium perpetuæ habitationis & bona sita habeat. *l. 7. c. de incol. l. 27. §. 2. ff. ad municip.* cum mors regulariter neque personam, neque bona subiciat jurisdictioni illius loci. Carpz. *7. F. p. 3. c. 12. d. 13. n. 4. & respons. l. 6. resp. 38.* Lauterb. *§. 52.* exemplificans hoc ipsum in studio mortuo in universitate aliqua, cujus hereditas legitima, imò nec mobilia, quæ secum habet, deferuntur heredibus secundum jura illius loci, sed loci, in quo domicilium civiliter seu stabile, vel bona habet idemque dicit de marito. Distinguit tamen *§. 53.* inter bona mobilia & immobilia, ita ut quòd ad illa fiat successio secundum jura & statuta illius loci in quo domicilium habuit, etiam si ea bona extra illud territorium alibi reperiantur; eò quòd illa bona mobilia eo in loco, quo solum temporis gratiâ translata, civiliter existere non videantur; sed paterfamilias ea destinare creditur ad locum domicilii, ut ibi ejus familie deserviant, adeo

R. P. *Lewr. Jur. Can. Lib. III.*

que in eo loco civiliter esse ejusque jurisdictioni subesse censeantur. Quò ad bona verò immobilia secundum sententiam jure verissimam, communem DD. & in praxi receptam successio in iis deferenda, non secundum statuta & jura domicilii, sed cujusvis loci rei sitæ, utpote cujus jurisdictioni subjecta sint. per *l. 1. 2. 3. c. ubi in rem actio. l. unic. c. ubi de heredit. agit.* pro quo citat Gail. *l. 2. obs. 124. n. 16. & seq.* & alios, addita etiam ratione; quòd statutis loci non tantum subditi illius loci astringantur; sed etiam alii ratione delicti, vel contractus, vel rei sitæ forum fortiantur. Et quòd de bonis immobilibus dictum, idem observandum dicit in mobilibus, à paterfamilias destinatis ad certum locum, ut ibi perpetuò mancant. v. g. ovibus ad certum agrum stercoreandum perpetuò destinatis, eò quòd res mobilis tunc fiat immobilis, & pars illius loci seu prædii per *l. 17. §. 7. ff. de act. empti.* aliasque *LL.* ab eo citatas. Successio verò in rebus incorporalibus, quæ naturæ suæ neque mobilia, neque immobilia sunt, quia adherent personæ, faciendâ secundum statuta domicilii defuncti pro quo citat. Carpz. *cit. p. 3. c. 12. d. 14.* Gail. *l. 2. obs. 124. n. 19.* & si nullum domicilium habebat, utpote vagabundus, spectandus locus originis. pro quo citat Carpz. *l. 6. respons. resp. 40.*

Quæst. 783. An & quando pupillo decedenti succedat tutor illius?

Resp. succedere ei tutorem deficientibus omnibus ejus consanguineis. per *l. quo tutela. 42. de R. J. dicentem:* quòd tutela redit, eo hereditas pervenit, nisi dum feminæ hæredes intercedunt &c. affirmant Bart. & Gomes apud Vasq. *de testam. c. 4. §. 3. du. 2. n. 63.* Id tamen ex dicta leg. non rectè desumi, astringit de Lugo *l. c. n. 193.* eò quòd ibi non agatur de defectu consanguineorum; sed solum dicitur, quòd inter consanguineos præferatur in successione, ad quem pertinet tutela; cum hæc etiam proximioribus debeatur, nisi sint feminæ; adeoque non dicitur, quòd tutor non consanguineus datus ex testamento vel officio Judicis succedat pupillo.

Quæst. 784. An & quando succedat Fiscus?

Primò deficientibus ex omni linea cognatis ad decimum usque gradum, ac insuper conjuge, in omnia defecti bona ab intestato succedit fiscus juxta expressos textus *l. 1. §. ult. ff. de jur. fisci. l. 1. & 4. c. de bon. vacant. &* quidem laicus defuncto laico, ecclesiasticus ecclesiastico. *c. 1. b. r. de Lugo. c. Pith. b. r. n. 25.* non quidem ut hæres (licet quòd ad effectum hæredis loco habeatur) sed bona hereditatis vacantia jure territorii occupat. *l. 4. & L. fin. & totit. c. de bon. vacant. l. 28. ff. de jur. fisci.* Peregr. *l. 5. r. 1. num. 60.* Bachov. *ad Trentl. vol. 2. d. 16. th. 1. lit. F.* Lauterb. *l. c. §. 57.* & si defunctus diversis in locis reliquit bona, Fiscus domicilii immobilia ibi sita, & mobilia, ubi sunt, occupat, reliqua immobilia ad cujusque loci fiscum, ubi sita, spectant. Barry *de success. ab intest. l. 18. tit. 5. num. 1. & 2.* Mev. *ad Jus Lubec. p. 3. r. 2. a. 14.* quot citat & sequitur Lauterb. *l. c.* qui etiam *§. 56. in fin.* cum Vinnio Jurispr. *controv. l. 1. c. 64.* ait, Doctores vel studioso defuncto succedere fiscum academicum, quamvis autem bona defuncti ipso jure deferantur fisco, possessor tamen eorum, non de factò, sed viâ juris expellendus est. *l. 7. c. de jur. fisci.* Lauterb. *§. 58.* siquidem antequam fiscus bona intestati capiat, requiritur discussio & promulgatio publica, qua denunciatur, ut, si quis ad hæreditatem se jus habere putet, compareat

Bbb b

patet

pareat intra certum tempus præfixum; intra quod; si nemo se infinet, bona censentur vacantia; si autem contradictor supervenit, hic legitime audiendus, & tandem per sententiam successor declarandus est fiscus, *L. fin. c. de bon. vac. & ibi. Brunem. num. 8. Lauterb. l. c. Reiffent. h. t. num. 59.* hoc demum facto, bona transeunt ad fiscum cum onere satisfaciendi creditoribus defuncti pro viribustantum hereditatis. *L. 11. ff. de jur. fisco. & si plures sint fisci, quilibet pro rata delatorum sibi bonorum satisfacere tenetur. Lauterb. l. c. cum Barry l. c. & aliis. De cætero etsi aliis existent hæredes, fiscus succedit in casu, quo alicui ut indigno hereditas auferretur, de quo sparsim in antecedentibus.*

2. Resp. Secundò: sunt tamen plures casus, in quibus à successione excluditur fiscus. Et primò quidem, si fiscus intra quadriennium bona vacantia non agnoscat, excluditur per prescriptionem quadriennemem. *L. 1. § 2. c. de quadr. prescriptio. Lauterb. l. c. §. 58. in fin. cum Stryck. Secundò dum peregrinus aliquis in hospitali decedit, bona illius mobilia ibi reperta non cedunt fisco, sed per manus Episcopi ad causas pias erogantur. de Lugo, Pirh. Reiffent. *LL. cit. juxta Auth. omnes peregrini. c. communia de success. quæ quia mentionem non facit de moriente in hospitali, id extendendum videtur ad peregrinos ubicunque morientes, dum eorum hæres ignoratur. Tertio in locis principalis liberalitatis. L. unic. c. si liberal. Imper. soc. sine hered. decedente. Peregr. l. c. L. 4. tit. 3. num. 8. Lauterb. §. 56. in fin. Quarto certa quedam collegia ex singulari ratione præferuntur fisco, & succedunt membro suo ab intestato decedenti. qualia collegia sunt Decurionum, Naviculariorum cohortalium, Militum, Fabricensium. de quibus in *Cod. specialibus titulis, quibus, cum hoc per speciale privilegium concessum, extendendum illud non est ad alia Collegia in jure non expressa, ut cum Barry & Brunem. Lauterb. cit. §. 56. quem vide agentem de singulis eorum in specie. Quintò in bonis Clerici vel Religiosi decedentis sine hærede fiscus non succedit. de quo seq. quæst.***

Quæst. 785. Quinam Ecclesiastico seculari succedant ab intestato.

1. Resp. Primò: Ecclesiastico succedunt ab intestato in bonis eorum patrimonialibus & quasi patrimonialibus, hoc est, acquisitis ab illis jure hæreditario, donatione inter vivos amicorum, vel proprio labore & industria, de quibus testamentum facere possunt, eodem prorsus modo eorum consanguinei legitimi, quo in bonis laicorum succeditur ab eorum consanguineis; & quò ad illa pariformiter statuendum de eorum adoptivis, illegitimis, spuris, ac de ejusmodi laicorum. *Gl. in c. 1. h. t. v. tradantur. Abb. ibid. num. 3. Barbof. n. 2. Reiffent. h. t. n. 61. Wiestn. h. t. an. 1. per plures n. seq. in particulari de omnibus cum communi ex ea ratione; quòd, cum eorum perfectè sint domini, disponere possunt pro libitu. Si verò nullos consanguineos successione capaces habeant, & intestati moriantur, in bonis dictis Ecclesia, in qua beneficium habuerunt, vel cui infervierunt, succedit, excluso Episcopali. Abb. Barbof. *ll. cit. Pirh. h. t. n. 26. Bellet. de q. cler. p. 1. §. 14. n. 1. Wiestn. h. t. n. 17. Reiffent. n. 62. cum communi juxta claros textus. c. 1. h. t. c. 2. causi. 12. q. 3. c. fin. caus. cad. q. 5. & ex ea congruentia, ut iidem AA. quòd Ecclesia illa sit Clerico veluti sponsa & uxor, quæ aliàs conjugii succedit, secundum dicta paulò ante. Si etiam nullum habuit beneficium, &**

vi privilegii alicujus nulli Ecclesiæ deservit, aut etiam adscriptus fuit, succedit in ea bona fiscus Ecclesiasticus seu Episcopalis (nam & Episcopus suum fiscum & jura fiscalia habet, ut Barbof. *de off. & potest. Episc. alleg. 107. n. 16. Bellet. l. c. n. 8. Reiff. n. 63.* qui tamen ea bona ad suum fiscum pertinentia sibi appropriare nequit, sed in causas pias erogare debet, ut AA. iidem cum Abb. *in cit. c. 1. ad finem.*) istius loci, in quo versati constanter fuerunt non secus a laicis succedit fiscus laicus. ita Abb. *inc. 2. h. t. n. 2. Bellet. n. 2. Peregr. l. c. l. 4. tit. 3. n. 10. Pirh. l. c. Wiestn. n. 19.* qui tamen addit, huic juri Ecclesiæ in pluribus Provinciis derogatum esse, dum in iis bona illa apprehendit fiscus secularis, excluso fisco Ecclesiastico, facit, ut inquit, acquiescente, si bona eorum intuitu Ecclesiæ acquisita ab iis intacta forent.

2. Resp. Secundò: in bona Ecclesiastica Clericorum seu acquisita respectu seu intuitu Ecclesiæ seu beneficii, etiam dum adfunt consanguinei, succedit beneficium seu successor beneficii; & quidem solus, si Clericus non fuit ex communitate vel collegio, ut sunt Episcopi, Parochi, Beneficiati simplices privati; secus si fuerint de communitate vel collegio Clericorum, ut sunt Canonici Cathedrales & Collegiati; tunc enim succedit totum Collegium ita tamen, ut sibi hereditatem appropriare nequeant, dividendo inter singulos de communitate; sed ad usus pios eam erogare debeant, juxta quod expressè disponitur. *c. relatum. 12. de testam. n. 36. Engels. h. t. n. 22. Reiffent. n. 64.* Unde licet passim, præsertim in Germania, consuetudo vigeat ut consanguinei in cuncta bona, tam patrimonialia, quam Ecclesiastica succedant; hanc tamen consuetudinem invalidam esse, & consequenter peccato & restituti obnoxiam, ea ratione, quòd Clerici eorum bonorum domini non sint, & de iis validè & licitè testari nequeant; quin & ea jure etiam divino in causas pias erogare debeant, non obstante quacunque consuetudine, tunc Reiffent. *h. t. n. 65.* Unde etiam, ut addit. *n. 66.* bona istiusmodi Ecclesiastica superflua sub peccato in vivis erogare teneantur, aut de iis ad tales causas testari, nisi hæredes consanguinei Clericorum ad intestato successuri ita sint pauperes, ut iis bonis egeant, ex ea etiam ratione, quòd sciant vi talis corruptelæ inducæ consanguineos cuncta bona invafuros ab intestato. hanc quoque consuetudinem tanquam irrationabilem & corruptelam impugnant Navar. *de re dit. Eccles. q. 3. monit. 11. n. 3. Canif. in c. 1. h. t. num. 89.* apud Wiestn. *h. t. n. 26.* Contrarium tamen apud eundem iidem inharentem defendunt cum Covar. *Molin. tr. 2. de 7. § 7. d. 147. n. 28. Sarmient. p. 2. de re dit. c. 6. num. 1. Pet. Barbof. in L. divorcio, ff. solut. matr. p. 2. num. 65. Oliva. for. Eccles. p. 2. q. 30. num. 1. Zoës. in ff. h. t. num. 4. Vide, quæ de hoc dicta à me ad tit. de pcul. Clericor.*

Quæst. 786. An novitio Ordinis Religiosi ab intestato succedat Monasterium?

Resp. Novitio decedenti intestato non succedit Monasterium, sed ejus consanguinei non secus, ac extra Monasterium sic decessisset, ut contra de Butrio *in c. in presentia. de prob. n. 44. Decium. ibid. num. 284. Clarum. §. testamentum. q. 28. n. 6.* probabilis ac verius tradunt Abb. *in cit. c. in presentia. n. 68. Bervius. ibid. n. 552. Franc. in rubr. de testam. in 6. n. 67. Nav. comment. 2. d. regular. n. 49. Gutt. L. 2. qq. can. c. 1. n. 101. Molin. tr. 2. d. 140. n. 2. Sanch. l. 7. mor. c. 3. n. 92. Castrop. tr. 16. d. 1. p. 17.*

num. 1. quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 31.* ex ea ratione; quod novitius hoc suo in monasterium ingressu habitusque susceptione, aut etiam morte sua naturali non evaserit verus religiosus eum effectu excludendi suos consanguineos; non obitante, quod novitius fori & Canonis privilegio defendatur; cum utrumque hoc privilegium competere possit ei, qui religiosus & clericus actu non est; nec conferat monasterio jus ad bona novitii. Extendunt hæc ipsa Sanch. & Castrop. ita, ut monasterium (quod nullibi in jure exprimitur esse loco filii ratione novitii) legitimam, imò nec seclusa conventionne, expensas pro alimentis novitii petere possit. Si tamen novitius post expletum novitium maneret in monasterio (intellige absque eo, quod profiteretur) & intestato decederet, cenferi eum omnia sua ei dedicasse, Arg. *Auth. si ingressi. c. de SS. eccles.* asserit Pirh. *h. t. n. 41.* cum Zoës. *in ff. h. t. n. 8.*

Quæst. 787. An & qualiter religionem professus ab intestato succedat monasterium exclusis consanguineis?

I. Resp. primò: si professus ante professionem de bonis suis nihil disposuerit, religioque successio capax non sit (quales sunt etiam, non tantum domus professæ, sed etiam quæcunque domus, ecclesiæ, collegia Societatis Jesu, quæ etsi possidere possint bona immobilia, non tamen in bonis suorum religiosorum intestatorum succedendi jus habent secundum constitutiones suas. *p. 6. c. 2. §. 12. congregat. general. 3. can. 4. & Constitutionem Gregor. XIII. quæ incipit. ascendente domino.* editam cal. Jun. Anno 1582.) omnia ejus bona professione facta devolvuntur ad hæredes illius ab intestato, perinde ac si morte naturali intestatus obiisset. ut cum communi. Abb. *l. c. n. 62.* Felin. *ibid. n. 50.* Bald. in *Auth. ingressi. de SS. Eccles. n. 38.* Clarus. *l. c. n. 7.* Less. *l. 2. de just. c. 41. du. 10. n. 86.* Sanch. *l. c. c. 35. n. 11.* Pirh. *h. t. n. 33.* eò quod, cum per professionem privet se dominio & possessione bonorum, monasteriumque eorum habendorum sit incapax, & nullus ad ea jus habeat, necesse sit ea transire ad proximos cognatos, ne aliàs sine possessore ac domino remaneant.

2. Secus est de professo in religione successio capax; ejus enim bona quocunque titulo vel tempore acquisita, etsi de iis nihil disposuerit, transeunt ad monasterium (non quidem jure hæreditario, proprie tali, sed jure cujusdam acquisitionis naturalis & accessoria personæ; dum eo ipso, quod persona per professionem transit in potestatem Prælati & monasterii, transeant quoque in illud omnia bona tanquam accessoria illius, etiam absque ulla apprehensione possessionis eorum. de quo vide Pirh. *h. t. num. 39.*) juxta *Auth. ingressi. & Auth. si qua mulier. c. de SS. Eccles. Novel. 5. c. 5. & Novel. 128. c. 38.* quæ jura approbata per *c. ingredientibus. caus. 9. q. 3.* Sanch. *l. c. c. 12. n. 4.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 8. q. 1.* Pirh. *num. 34.* Wiestn. *n. 33.* qui pro ratione hujus reddunt, congruum sit, ut, qui se totum consecravit Deo, omnia quoque ejus bona dedicentur Deo in religione, & cedant monasterio, non quidem expressa, sed veluti tacita & interpretativa voluntate professi. Un le jam monasterium tale hæreditatem adire poterit, etiam si is, cui ea delata, mox à professione incidit in amentiam. Bald. *in l. fin. §. hoc etiam. c. de Episc. & cler. num. 7.* Sanch. *l. c. num. 43.* Wiestn. *h. t. num. 45.* Item post mortem professi, cum per ipsam delationem ei acquisitum sit jus adeundi. *Co. R. P. Lear. Jur. Can. Lib. III.*

var. in *c. 1. de testam. num. 31.* Sanch. *num. 44.* Wiestn. *l. c.* quin & monasterium ignorante & invito monacho poterit adire vel repudiare hæreditatem exclusis aliis hæredibus; cum per professionem hæreditas deferatur monasterio, licet ex persona monachi; adeoque & potestas eam adeundi vel repudiandi. Less. *de just. l. 2. c. 41. num. 40.* Pirh. *n. 40.* Wiestn. *num. 43.* citans insuper pro hac sententia, seu acquisitione hæreditatis & legati immediatè monasterio obviente Abb. *in c. in presentia. de prob. num. 7.* Bervio. *ibid. num. 518.* Rodriq. *tom. 2. qq. regular. q. 77. a. 1.* Molin. *d. 140. n. 19.* Sanch. *l. c. n. 40.* contra Menhaca *de success. creat. l. 3. §. 11. num. 25.* Fach. *l. 6. controv. c. 16. & legistas aliquot.* qui tamen censent religiosum renuentem acceptare legatum & adire hæreditatem compelli ad hoc posse præcepto & pænis sicut ad alia monasterio utilia ut speculat. *de stat. monachor. §. unic. num. 12.* Fulgos. *in l. fin. §. hoc etiam. c. de Episc. & Cler. num. 3.* & si monachus contumaciter nollet accipere, posse Prælatum supplere sui subditi negligentiam seu contumaciam acceptando, ne dicta contumacia damnosificet monasterio, putant Sanch. *l. c. n. 42.* Castrop. *l. c. p. 5. n. 5.* His non obstante, quod domino non acquiratur servo delata hæreditas servo invito. Nam monachus non in omnibus comparetur servo quò ad acquisitionem hæreditatis; sed in aliquibus filio; pater autem etiam invito & ignorante filio adire possit vel repudiare hæreditatem ei delatam juxta *L. fin. c. de bonis, que liber.*

3. Resp. se undò: tamen si tale monasterium, ut dictum, succedat in omnia bona professi, ubi is antecederet nihil disposuit, si nullos habeat liberos aliosve descendentes aut ascendentes; si tamen habeat liberos aliosve ascendentes vel descendentes, illis ex illis bonis debetur legitima, etiam professus mortuo. *Auth. si qua mulier. c. de SS. eccles.* quæ etiam refertur in *c. si qua mulier. c. 19. q. 3.* tdmetsi, ut Pirh. *n. 35.* cum Sanch. *l. c. c. 9. n. 6. & 7.* & Less. *l. c. c. 41. du. 10. n. 82.* dicta *Auth.* vim obligandi non habeat, ut est constitutio Juris civilis, cui etiam præcisè ex eo, quod à gratiano inserta decreto, sed quia est tacitè confirmata à SS. Pontificibus. Potest quoque vivens post professionem, inter liberos distribuere bona sua (intellige acquisita ante professionem; cum post eam acquisita professus mox pleno jure spectent ad monasterium, & de iis disponere nequeat professus, ut Sanch. *l. c. c. 9. n. 22.* Laym. *l. c. n. 9.* Pirh. *n. 38.* qui tamen id limitat; nisi fortè hæreditas jure sanguinis ab intestato deferatur professo; eò quod tunc ea bona veluti ante professionem acquisita censentur; cum jus sanguinis sit immutabile: si tamen id antecederet non fecit legitimam non diminutà; ita tamen, ut, si tunc velit amplius quàm legitimam relinquere, debeat pro sua persona filiis connumerata partem retinere, quæ monasterio cedat. Hanc tamen distributionem facere nequit tanquam dominus, aut etiam per modum testamenti, utpote quorum utrumque, nimirum & facultatem testandi amittit per professionem; sed tanquam administrator ad hunc effectum à jure constitutus. Sanch. *l. c. n. 10.* Less. Pirh. *ll. cit.* Idem dicendum de ascendentibus à patre, matre; avo & avia; ita ut & illis à filio professus carente liberis debeatur legitima (etsi, ut Pirh. *n. 37.* in fine. Sanch. *l. c. n. 70.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 3. n. 8.* inter eos dictam divisionem bonorum post professionem facere nequeat ita contra *Glos. in cit. c. si qua mulier. v. non exstantibus.* Ubald. *de success. ab intest. p. 2. n. 14.* Francum & c. Innocent. *in c. in presentia. n. 6.* Abb. *n. 53.* Host. *n. 11.* Mol. *l. c. d. 140. n. 10.* Sanch. *l. c. c. 9.*

l. c. c. 9. n. 11. Pirh. n. 36. non obstante *cit. Auth.* Et *can. si qua mulier.* est enim ibi de solis liberis & descendentes sit sermo; ea tamen etiam extendenda ad ascendentes ob paritatem rationis, nimirum, quod & hi in defectu descendentes non minus sint heredes necessarii. neque monasterium habeatur loco filii, nisi in casibus in jure exceptis, qualis non est hic; adeoque illud à legitima excludere parentes professi nequit, ut *Sanch. l. c. n. 19. Less. l. c. n. 83.* Porro legitimam filiis (idem est de ascendentes, ut *Pirh. n. 37. &c.*) statim à professione, non expectata morte naturali, deberi filiis, & ab eis peti posse facilius plerique concedunt, & expressè. *Gutt. l. 2. gg. can. c. 1. n. 93. Sanch. l. c. c. 10. n. 1. Grass. de success. ab intest. §. legitim. q. 12. n. 7.* apud *Wiestn. h. t. n. 48.* Contrarium tamen de filiis professi in religione successione capaci, nimirum non deberi illis statim legitimam, tenent cum *gl. in aub. si qua mulier. v. moritur.* *Felin. in c. in presentia. n. 56. Gutt. l. c. à n. 79. Rodriq. gg. regular. q. 80. a. 2.* arg. ducto à contrario illius, quod dicitur *cit. aub.* nimirum patre post ingressum & ante factam inter liberos divisionem mortuo, filios legitimam percepturos. Ex ea quoque ratione, quod legitima filiis non debeatur patre superstitite. *L. 1. §. 2. ff. de collat. bonor.* cum debeatur jure successione. Cujus tamen sententia fautores necesse habent dicere, monasterium teneri interea vivente patre professo, suppeditare alimenta filiis illius legitimis & illegitimis, saltem, si aliunde non habeant, bene dicit *Sanch. l. c. c. 10. n. 18.* Verum & in hoc casu statim deberi & solvendam legitimam, probabilius tenent. *Abb. in c. in presentia, de prob. n. 59. Covar. in c. 2. de testam. n. 7. Nav. comment. 2. regular. n. 48. & 55. Less. l. c. n. 83. Sanch. cit. c. 10. n. 3. Pirh. l. c. Wiestn. h. t. n. 49.* arg. *c. cum simus. 4. de regul. quin & cit. authentica,* dum per eam permittitur patri legitimas portiones distribuere inter filios, quod non permetteretur ei, si monasterium jus haberet illas retinendi usque ad mortem professi. Ex ea etiam ratione, quod durum esset filiis à monasterio petere alimenta, quamdiu pater professus vivit.

Quest. 788. In que bona & jura filii professi & qualiter succedat monasterium successione capaci.

1. **R**esp. Primò succedere tale monasterium in bona adventia filii familias quò ad proprietatem, si is de iis non disposuit, patet ex antecedentibus, dum dictum est illius bona quocumque titulo acquisita ab illo transire ad monasterium. In eo verò, num per professionem cesset usufructus, quem in iis habebat pater, controvertitur, affirmant *Covar. in c. 2. de testam. n. 9. Fachin. l. 6. controv. c. 12. arg. c. 60. de appell. & ex ea ratione, quod per professionem cesset patria potestas, quæ aliàs causa est, cur usufructus illorum acquiratur patri. Negant è contra Decius in c. in presentia. à n. 247. Nav. l. c. n. 55. Rodriq. Tom. 3. regular. gg. q. 10. c. 4. Less. l. c. n. 83. Sanch. l. c. c. 13. num. 39.* eò quòd, licet usufructus in fieri dependeat à patria potestate, is tamen etiam ea cessante conservari possit. *L. fin. §. 1. c. ad S. C. Tertull.* propter reverentiam patri debitam; & in amissione usufructus, non mors domini, sed usufructuarii attendi debeat. per *l. 3. §. 1. c. §. fin. Inst. de usufructu.*

2. **R**esp. secundò: non tantum usumfructum legalem, quem in bonis adventitiis filii manentis in sæculo ex legis dispositione, sed & conventionalem,

seu qui competit alicui ex donatione, venditione, ultima voluntate aliave conventionem, per professionem à patre aliave usu fructuario in religione successione incapace factam extingui & consolidari cum proprietate, extra controversiam est, ut *Wiestn. l. c. num. 36.* Idem dicendum, si professus fuerit in religione successione capaci, teneat cum *gl. in can. si qua mulier. v. non existantibus. Fachin. l. 6. controv. c. 12. §. ego puto.* ex iis rationibus; quòd usufructus morte usufructuarii extinguitur juxta *§. fin. Inst. de usufr.* quòdque usufructus neque in professo ob votum paupertatis manere possit; neque ab eo transferri in alium, præterquam in dominium proprietatis per *l. 66. ff. de jur. dot.* cum sit jus personale, adeoque nec transire in monasterium. Verumtamen contrarium, nimirum usumfructum per professionem in religione successione capaci non extingui, tanquam communione & veriore, cum *gl. in aub. ingressi. c. de SS. ecclesius. v. dedicant.* defendunt *Innocent. in c. in presentia. de prob. num. 5. Jo. Andr. ibid. num. 16. Hofst. num. 8. Nav. l. c. num. 38. Sanch. l. c. c. 13. num. 48. Suar. tom. 3. de relig. l. 8. c. 13. num. 6. Castrop. tr. 16. d. 3. p. 4. §. 1. num. 3.* quos citat & sequitur *Wiestn. num. 36. §. nihilominus. Arg. cit. Auth. ingressi.* generaliter & sine exceptione assentis, à professo se & sua omnia dedicari Deo. & *l. 41. ff. de relig. & sumpt.* favore religionis latam interpretationem admitti. proinde juxta hanc sententiam usufructus primò finitur morte naturali professi, non civili seu professione, utpote quæ non eosdem semper effectus habet cum morte naturali. His non obstante argumento desumpto à paritate, nimirum pensionis quam non secus morte civili seu professione quam naturali extingui ex recepto stylo Curie Romanæ, tradit *Gigas de pension. q. 57. n. 5. Arg. c. 4. de regular. in 6.* cum pensionem extingui exigat favor Ecclesie, cui expedit beneficia libera esse; non item is exigat extingui usumfructum, ut ex *Castrop. l. c. num. 4. Wiestn. num. 36. in fine.* Neque etiam, quòd usufructus sit jus personale, adeoque intransferibile; cum usufructus pervenire possit ad monasterium, & penes illud remanere absque vera transmissione vel translatione, aut etiam possessionis acceptione; cum re ipsa monasterio vi professionis veluti subeunte personam professi communicetur solummodo, & qui prius in particulari à nondum professo, dein eodem professo, possideatur cum communitate bonorum à monasterio.

3. **R**esp. tertio: emphyteusis, saltem concessa sub conditione (uti tacite semper concedi videtur) ne ad personam potentiorum transferatur, non transire in monasterium absolute, nullo facto discrimine inter translationem voluntariam directam, quæ fit cum translatione personæ & ex dispositione legis bona transferentis, tenent verisimilius. *Bart. in cit. Auth. ingressi. num. 2. Bald. ibid. num. 31. Barbat. in c. in presentia. num. 121. Castrop. l. c. §. 3. num. 8. Wiestn. h. t. num. 38.* ex ea ratione; quòd tam translatio illa indirecta & in consequentiam personæ facta, quam directa (quæ transferri illam in monasterium non posse admittunt *Felin. in c. in presentia. num. 36. Sylv. v. emphyteusis. q. 20. num. 27. Sanch. l. c. c. 15. num. 65.*) repugnat fini intento per talem adjectam conditionem seu clausulam, ne scilicet propter ecclesie seu monasterii privilegia, aut majorem emphyteutæ potentiam durior fiat conditio domini proprietatis, & is debita ratione emphyteutis consequatur difficultas.

4. Resp. quarto: in majoratu, qui summam dignitatem, puta regnum, ducatum, aut jurisdictionem temporalem in oppidum aliquod annexum habet; uti &, si ad agnationem & familiae conservationem, vel cum onere nomen familiae ejusque arma & insignia deferentis institutus; vel in ejus institutione alia adjecta clausula, qua Religiosum excludat, Monasterium, etiam aliis successione capax, non succedit, sed majoratum à die professionis ad proximum agnatum devolvit. secus verò esse de majoratu, qui tale quid annexum non habet, & illum transire ad Monasterium successione capax, ita ut, quamdiu professus vivit, illud totam majoratus commoditatem percipiat, illeque quamprimum, professus naturaliter mortuo, ad proximum agnatum devolvatur, communem & receptam doctrinam esse astruit. Wiestn. *h. t. n. 3.* cit. pro ea Tapia in *Auth. ingressi. v. sua. c. 16. n. 9.* Molin. *de primogen. l. 1. c. 13. n. 93.* Molin. *Theol. de 7. & 7. tr. 2. d. 623. n. 3.* Sanch. *l. c. c. 13. n. 16.* Verùm merito de eo majoratu qui annexam jurisdictionem aliquam temporalem habet, dubitari potest, an non & ille transeat in Monasterium talis jurisdictionis capax, qualia sunt plura Monasteria.

5. Resp. Quinto: jus patronatus seu jus praestandi ad beneficia, absque eò, quòd maneat penes professum, ut volunt aliqui, eò quod non sit res pretio aestimabilis, ideòque paupertati non repugnet, transire ad Monasterium, quamdiu professus vivit; nisi fortè ex dispositione fundatoris remanere penes familiam debeat, aut annexum sit majoratu tali, in quo succedere nequit monasterium, probabilius tradunt Lambertin. *de jurep. l. 2. p. 1. q. 2. a. 10. num. ult.* Sanch. *l. c. c. 14. a. num. 2.* Castrop. *l. c. p. 4. §. 2. n. 3.* Wiestn. *h. t. num. 41.*

6. R. Sexto: jus retrahendi rem alienatam extra familiam, cui abscripta, competens alicui ante professionem per professionem non transire ad Monasterium, ne vel hoc ipso res obnoxia retractui alienetur extra familiam, dum eam, non sibi, sed Monasterio acquireret Monachus; sed transire ad proprium agnatum, non secus ac alia jura, quorum Monasterium capax non est, rectè cum Tiracuell. *de retrah. gentil. §. 1. gl. 8. num. 19.* tenent Sanch. *l. c. c. 14. n. 26.* Castrop. *l. c. p. 4. §. 2. n. 5.* apud Wiestn. *num. 40.*

Quaest. 789. An per consuetudinem vel statutum aliquod possit tolli Monasterio jus, quod ei competit succedendi in bona professorum.

1. Resp. Ad primum: posse illud tolli per consuetudinem legitime praescriptam spatio 40. annorum (non minore; quia brevior tempore contra Ecclesiam non praescribitur) ita ut bona devolvantur ad consanguineos professi. Covar. in *c. 1. de testam. in fin.* Sanch. *l. c. c. 12. num. 14.* Pirh. *h. t. num. 42.* & communiter alii ex ea ratione, quòd jus hoc solo humano competat Monasterio.

2. Resp. Ad secundum: nullotamen modo per statutum Municipale aut Provinciale decerni potest, ut ingredienti Religionem excludantur ab haereditate seu successione parentum aliorumque consanguineorum; adeòque ut Monasterium in bona illorum immobilia non succedat, sed ut parte aliqua seu vitalitio sint contenti, estque tale statutum irritum. Abb. in *c. Ecclesia de constit. num. 35.* Laym. *ibid. num. 7. exemplo. §.* Sanch. *l. c. c. 12. num. 18.* Pirh. *num. 43.* ex ea ratione, quòd tale statutum, saltem quòd ad effectum) dirigatur in illud tempus, quo ingressus jam est professus (ante professionem enim necdum est incapax successione) pro eo autem tempore est subductus jurisdictioni saeculari, adeòque illo statuto non obligatur, quin is aut ex persona illius succedere possit Monasterium. Dixi: *saltem quòd ad effectum*: quia et si dispositio fiat pro tempore habili, non tamen valet, si ejus effectus cadat in tempus inhabile. Arg. *L. ut sponsae. c. de donat. ante nupt.* Tum etiam, quòd leges civiles, quae expressè & in specie disponunt de Ecclesiasticis personis, praesertim quòd talibus, illas obligare non possunt, etiam si illis aliàs sint favorabiles. Ac denique quia supremus Princeps, Rex vel Imperator privilegia ab Imperatoribus aliis concessa Ecclesiis, Ecclesiasticisve personis, ab iisdem acceptata (inter quae est jus illud succedendi Monasteriis tam à Jure Civili, quam Canonico concessum) auferre non possit sine consensu Pontificis. ita ferè Pirh. *h. t.*

num. 43.

